

totum Romanum imperium ad generale capitulum Cisterciense ire permittebantur<sup>1</sup>, quia Allexandro catholico pape obediebant. Istud scisma 18 annis duravit, sicut quidam versificator<sup>2</sup> dicit:

Annis ter senis<sup>3</sup> tribulatis scisma recedit.

Anno<sup>4</sup> Domini 1183. sopito scismate Conradus archiepiscopus cum honore revertitur ad episcopatum, quem<sup>5</sup> postmodum plus quam 20 annis laudabiliter rexit. Mortuus est autem anno Domini 1200 in vigilia Symonis et Iude, et statim electi sunt in loco eius duo episcopi; media enim pars canonicorum maioris domus, in quibus<sup>6</sup> electio episcopi consistit, elegit Lupoldum Wormaciensem<sup>7</sup> episcopum, alia vero pars Siffridum prepositum Sancti Petri, natum de Eppenstein, avunculum Wernheri et Philippi de Bolandia, qui<sup>8</sup> tunc temporis multum erant potentes in armis et castellis<sup>9</sup>.

Siffridus<sup>10</sup>.

Siffridus archiepiscopus Moguntinus regnavit annis duobus. Obiit 1225 Idus Septembris.

Siffridus iunior.

Siffridus iunior archiepiscopus annis 20. Hic fuit vir fortis, sapiens et discretus, ac cunctis inimicis suis timendus bellator, egregius et in bellis et gestis suis Iude Machabeo simillimus. Ipse cum tricentis viris de hostibus septingentos vel octingentos sepe<sup>11</sup> invasit, raro aut nunquam persequentes fugit. Hic nigras moniales veteris monasterii Maguntini mutavit in griseum ordinem, et montem ac claustrum sancti Desebotdi, ut defenderet bona circumiacentia, attinentia sedi Moguntine, mutavit in castrum, Silvestremque comitem integrum annum propter eadem bona captivatum tenuit. Magunciam civitatem debellavit et cives coegit, quod sibi mille marcas ad reconciliacionem dederunt. Ducem Bavarie debellavit et alia multa preclara gessit. Huius temporibus Friedericus<sup>12</sup> imperator curiam Maguntinam celebravit; postea idem archiepiscopus eundem imperatorem, omnes adiutores et fautores suos, ad mandatum domini pape excommunicavit, ac per uni-

---

1) So beide Hss. 2) 'quadam versificatur' Mog. 3) So auch, cod. Eb., nicht 'semis', wie Zais hat. 4) Am Rand roth: 'Hic Conradus revertitur ad episcopatum'. 5) 'quod' Mog. 6) Cod. Eb. unrichtig 'in qua'. 7) 'Wormaciensum' Mog. 8) Cod. Eb. 'quia'. 9) Auf fol. 80 zu einer Urkunde Siegfrieds d. J. 1244 am Rand der Eintrag: 'Iste Sifridus fuit iunior et de Eppenstein natus, avunculus Wernheri et Philippi de Bolandia, qui tunc temporis multum erant potentes in armis et castellis prope Renum et usque ad Westerrich'. 10) Dieser ganze, im Eb. fehlende Absatz, steht im Mog. an falscher Stelle, nach Sifrid III. Das falsche Todesjahr (statt 1230) findet sich auch in dem Catal. Mog. SS. XIII, 316; die falschen 2 Jahre sind vielleicht ein Missverständnis von Christ. c. 23, SS. XXV 247. W. 11) Fehlt im cod. Eb. 12) Cod. Eb. 'secundus'.